

tia quoad illam orationem : *Omnipotens semperne Deus, etc.*, quam recitare consuevit episcopus, dum manus super omnes confirmandos pretendit. In nonnullis enim ordinibus postponitur unctioni, in aliis praemittitur, omittitur penitus in aliis, ut in libro Sacramentorum Moysacensis monasterii, qui in biblioteca Colbertina asservatur; in quibusdam vero sola refert oratio, at nulla sit mentio manum impositionis, ut in antiquo codice s. Benigni Divionensis ante an. 800, ut refert Martenius, nec non in rituali Gemeticensi aetate Theodorici abbatis exarato, in duobus item Colbertinis annorum ad minimum 800 (1). His omnibus robur invictum accedit ex Grecorum et Orientalium praxi, apud quos nulla occurrit in administratione hujus sacramenti oratio ad invocandum Spiritum sanctum, nec propterea prior illa manum impositio (2).

III. His itaque constitutis circa materiam, et formam sacramenti confirmationis, restat ut pauca subjiciamus circa ejusdem sacramenti effectus.

Jam vero duo effectus recensentur. Primus nempe est Spiritus sancti gratia ad robur et fortitudinem in fide presertim strenue profienda, adeo ut illi, qui quasi modo geniti infantes per baptismum evaserunt, per confirmationem virtute Spiritus sancti in viro perfectos evadant. Quare apud veteres confirmationem dicebatur *appendix, complementum, perfectio, et consummatio baptismi*, eo scilicet sensu, quo expositum est. Recepta inde pariter erat consuetudo apud eosdem statim confirmandi eos qui baptizati erant. Ad hunc vero effectum obtinendum requiri statim gratiae, omnes consentiunt. Alter Confirmationis effectus est character, quo sit, ut semel rite confirmatus, iterum consignari non possit. De hoc posteriori effectu disseruimus in tractatu de Sacramentis in genere (N. 78. et seqq.), quin aliquid adjici necesse sit.

Quae cum ita sint, jam accedimus ad resiliendum circa virtutem chrismatis novatorum errorem.

**PROPOSITIO.** — *Injurii non sunt Spiritui sancto, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt.*

Est de fide, totidem siquidem verbis definita est a Concilio Tridentino sess. VII. can. II. superius recitat.

Operosum porro non est post ea, quae hic praemissa sunt, ejus veritatem adstruere. Vel enim chrismatis unctio spectat ad essentiam hujus sacramenti, prout communis jam fert theologorum sententia, quae nobis certa videtur; vel habetur ut ceremonia ad magis declarandos hujus sacramenti effectus, in hypothesi illorum theologorum, qui contendunt materiam essentiale et adequatam confirmationis in sola manum impositione consistere. Si prius admittatur, hoc ipso evincitur propositionis veritas; si posteriorius, nulla profecto injuria irrogatur Spiritui s. si ritus ab Ecclesia servetur in tota antiquitate receptus, ad ejusdem sacramenti mirabiles effectus uberioris signifi-

(1) Martenius op. cit. lib. i. cap. 2. art. 5.  
(2) Cf. Renaudotum, op. cit. liv. ii. ch. 12.

ficandos prout et in allorum sacramentorum solemnis administratione fieri consuevit. In hac enim sententia, cum unctio nihil addat seu conferat ad sacramentum essentiali, quae sarta tecta habetur in manum impositione, non afficit nisi rationem illud administrandi. Porro Ecclesiam preditan esse potestate nonnullos ritus ac ceremonias instituendi ad solemnem sacramentorum administrationem, suo loco ostendimus (1). Ergo.

Cum omnes fere difficultates, quas urgere solent protestantes adversus chrisma ex silentio Scripturae, ac veterum, aut ex ejus origine, aut etiam ex superstitione, quam in ista unctione inesse autuant, praeoccupatae a nobis fuerint, ne temporis jacturam facere videamus, ab eorum strophis referendis supersedemus, quae ut plurimum in solis sannis et scurrilitatibus consistunt (2).

#### CAPUT IV. IN EA, QUA DISCEPTEATA SUNT, SCHOLIA COMPLECTENS.

Ad pleniorum hujus tractatus dilucidationem, nonnulla breviter circa institutionem, subjectum, necessitatem et ceremonias confirmationis adjicienda supersunt.

I. Ac primo quidem circa institutionem, velut certum tenendum est, adversus nonnullos veteres scholasticos, s. Bonaventuram, card. Jacobum de Vitriaco, Petrum Aureolum, aliosque, imo et synodum Beneventanum an. 1574 celebratam, sacramentum confirmationis fuisse immediate a Christo Domino institutum, non autem mediate tantum ut illis placuit (3). Id enim satis aperte docet Tridentina synodus definiendo, omnia N. L. sacramenta fuisse a Christo Domino instituta (4). Quo vero tempore, aut in quibus rerum adjunctis illud Christus instituerit, res omnino incerta est, nec ulla suppetunt certa documenta sive ex Scriptura sive ex traditione, ut determinari id possit.

II. Subjectum confirmationis non potest esse, nisi fidelis baptizatus, cum baptismus omnium sacramentorum primum sit, ac veluti janua, qua in christiana vita societatem ingredimur. At circa aetatem ac tempus illam administrandi, diversa diversis temporibus et in diversis ecclesiis viguit et adhuc viget disciplina. Etenim in ecclesia latina, olim administratur statim post baptismum, ut innumeris prope documentis ostendit Martenius (*Loc. cit. ar. 2.*) qui mos perseveravit per duodecim fere secula, siquidem invenit sec. XIII. jam passim obsoleverat, ut non obscurae innuit ms. Pontificale ecclesie Apamensis in

(1) In Tract. de sacr. in genere col. 54.  
(2) Videri poterunt apud Bellarm. *De confirm.* cap. 9. et seq. Cf. etiam Trombelli *De confirm.* tom. i. disp. 4.

(3) Cf. Trombelli op. cit. Disp. 1. et 2.  
(4) Cf. que diximus in Tract. de Sacram. in genere col. 41.

(5) Cf. S. Th. 5. p. q. 72. a. I. ad 1. item Estium in IV. Sent. Dis. VII. § 4. Drouvenum de *Re Sacram.* lib. iii. cap. 2. q. 6. qui exponunt, quanam ratione accipendum sit dictum s. Th. I. c. « Quod Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo, sed promittendo . . . et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem. » De singulari opinione Alexandri de Ales alias disseruimus. Falsum porro est, quod generatim affirmat Sambovius in tract. de *sacr. confirm.* Disp. I. ar. 2. ubi refert scholasticorum placita, s. Bonaventuram in 4. Sent. D. 7. q. 1. et 2. amplecti doctrinam magistri sui, nempe Alex. Alesian. Nihil enim dicit de hujus sacramenti institutione in conc. Meldensi, sed solum asserit formam et materiam elementarem fuisse ab immediatis apostolorum successoribus institutam Spiritu sancto dictante. Eum adhuc loc. cit. Opp. ed Rom. 1506. tom. v.

Syria an. 1214. exaratum (1), licet in nonnullis particularibus ecclesiis occidentalibus, in Galliis presertim, diutius retentus sit. Quod vero spectat ad ecclesiam grecam, aliasque orientales communiones, antiqua disciplina adhuc viget (Cf. Renaudotum loc. cit.). Ceterum cum in ecclesia latina a sec. XIII., invalidetur disciplina separandi administrationem confirmationis a collatione baptismi, receptum in ea est, ut non conferatur, nisi cum infantes pervenerint ad rationis usum, si peculiares circumstantiae aliud non studeant. Hac ratione componuntur, quae contraria tradere videntur catechismus romanus ac romanum Pontificale. Catechismus enim docet, minus expediti hoc fieri prius quam pueri usum rationis adepti fuerint, ideoque nisi cum septimum aetatis annum attigerint (p. 2. cap. 3. n. 17); Pontificale vero tanquam certum ponit, sacramentum confirmationis etiam infantibus ab episcopo administrari, dicens : *Infantes per patrinos ante pontificem chrismare volentem teneantur in brachii dextris;* Catechismus siquidem loquitur de eo, quod ceteris paribus observari debet, Pontificale autem de eo, quod necessitate alter exposcente fieri potest.

Benedictus XIV. lib. VI. de Synodo, indidem coligit, laudandum esse episcopum, qui paratum se profiteretur ad confirmationem administrandam in infantibus in extremo constitutis, aut juberet ut sibi chrisma ministraturo aut in hoc aut in illo sua diocesis loco exhibeantur pueri cum facilis ad eos in posterum sibi futurus non sit accessus (Cap. 9. n. 8, 9).

Prater statum gratiae, olim præterea requirebatur, ut nonnisi a jejuniis tum conferretur, tum suscipieretur confirmation (2); quod nunc in desuetudinem abiit.

III. Quid necessitate, omnes theologi consentiunt, confirmationem minime necessariam esse necessitate medi. Verum non æque convenienti, si sermo sit de necessitate precepiti, saltem ecclesiastici, adeo ut gravis criminis reus fiat, qui ipsam negligenter, cum possit facile suscipere, alii enim affirment, alii negant. Verum consuli poterunt de hoc argumento theologia moralis institutores (3).

IV. Superest ut percurredamus potiores hujus sacramenti ceremonias seu ritus, qui adhuc observantur in ejus administratione; olim siquidem pueri alii usurpabantur, ut ostendit Martenius (4). Ac I. est unctio chrismatis in fronte apud latinos, græci enim ac plerique orientales ungunt oculos, naris, os et aures (5). Cur vero apud nos frons inungatur exponit catechismus rom.

(1) Erat tunc temporis Syria sub ditione Latinorum. Cf. etiam Vicecomitem op. cit. lib. i. cap. 3.

(2) Cf. Martenium op. cit. lib. I. cap. 2. art. 2.

(3) Cf. etiam Estium in IV. D. VII. §§ 18. 19. ubi copiose et accurate de hoc argumento disserit.

(4) Loc. cit. art. 5. Cf. etiam Vicecomitem de *antiquis confirm. ritibus*, duobus integris libris.

(5) Interdum etiam liniebant pectus, manus, pedes, etc.

2. Frons (1) oleo sacro illita vitta linea ac probe munda cingitur, atque olim quidem septem diebus ejusmodi vita deferebatur, vel per triduum, vel saltem per integrum diem; alicubi, ut observat Bellarius, continuo abluitur et exsiccatur chrisma a sacerdotibus, ut fascia opus non sit; consuetudo igitur est tenenda qualis in unaquaque ecclesia viget.

3. Accedit usus antiquissimus susceptorum, qui quasi parentum officium obtinent, ac proinde patrini chrismandorum, vulgo nuncupantur. Quæ autem munia ejusmodi susceptoribus seu patrinis incumbant, fuse exponit in cone. Mediolanensi V. s. Carolus (2). Statuit porro concilium Trid. non contrahi spiritualem cognitionem, nisi confirmantem inter et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem (Sess. XXIV. cap. 2. de Ref.); quorum propterea nomina in libro ad hoc destinato consignari debent etiam ex plurim synodorum prescripto.

4. Alapam episcopus levem infligit confirmato, mysticam hujus ceremonie rationem alii rectius assecutus videtur s. Carolus, qui inter cetera de ea preclare haec habet : *Episcopus eum leviter in maxilla cædit, quem chrismate confirmat. Hunc ritum parochus ita docet, ut scilicet homo christianus se jam militem esse, cuius pugna et victoria elutet in patientiis injuryis, non in illis inferendis: deinde se in christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vitae jucunditates et commoda querat; sed incommoda potius, atque adeo mala multa patienter ferat: ac præterea intelligat officii sui esse, in acie stere, telaque unde veniant observare; ita ut quamvis illis telorum icibus corpus, honor, opesque laedantur, anima tamen nullo pacto offendatur (3).* Hanc porro ceremoniam originem habuisse arbitratur el. Muratori ex solemni equitum institutione, que olim vigebat, cum rex aut imperator virum aliquem strenuum raro tunc et insigni honore ac nomine equitis donans, alapam illi infligeret; idque colligit tum ex significacionis analogia, tum etiam ex eo, quod ante Durandum Mimatensem, qui ea aetate floruit, quia potissimum illa ceremonia usurpabatur, nullus reperiatur scriptor, nullus liturgicus aut pontificalis liber qui ejus ritus mentionem faciat (4).

præter Areodium, Goarium, Renaudotum, qui ritus Grecorum et Orientalium describunt, cf. admonitionem Toueti ad Catech. III. mystagog. s. Cyrilli.

(1) P. 2. cap. 5. n. 23. Cf. præterea s. Th. 5. P. q. 72. a. 9.

(2) Act. p. 1. cone. Provine. V. Cf. *Acta Eccles. Mediol. a Carolo Card. s. Prazedis archiep condita*, Frederici Card. Borromei jussu edita. Mediol. 1619. pag. 220. tum ibid. *Instruct. de sacram. confirm.* p. 309. et seqq.

(3) Cf. ib. *Instruct. de sacr. conf.* pag. 508. Que quidem instructiones integræ legi mereuntur, presertim ab illis, quibus incumbit cura animalium.

(4) Cf. *antiqu. italic. medii aevi*. Mediol. 1741. tom. iv. Dissert. LIII. col. 636.

#### TRACTATUS DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIE SACRAMENTO.

Eucharistiam sacramentorum omnium præcipuum ac nobilissimum, imo et totius religionis christianæ compendium, summis laudibus veteres patres commendarunt atque extulerunt. Christiani omnes venerantur et grati animi sensu supremum hoc charitatis miraculum quovis tempore prosecuti sunt. Incrudi, recentiores biblii, ac rationaliste et converso, furiosos novatores ævi nostri initati, tali omnia huc conjicunt, ut scilicet suavissimum hoc peregrinationis nostræ solamen nobis eripiant, et qui incarnationis ac redemptio mysterium evertere comati sunt, eucharistiam, quæ velut incarnationis continuatio et extensio est, ac uberrimos redemptio fructus in se

continet nobisque communicat, e medio pariter tollere satagunt. Ast irrito conatu : Deus enim Ecclesie sue praesto est. Nulli interea et nos industrie parcere debemus, ut veritatem propugnemus ineffabilis hujus mysterii, in quo Deus divitias amoris sui erga nos adeo liberaliter profudit.

Multis splendidisque nominibus eucharistia, quæ tantumdem significat ac bona gratia, seu gratiarum actio, a Scriptura et patribus exornatur. Etenim I. a tempore institutionis cena nuncupatur; 2. ab eo, quod continet corpus, caro, sanguis Christi; item sancta in liturgiis græcis, sancta sanctorum, sanctum Domini; 3. a materia ex qua conficitur, panis dicitur, panis

*supersubstantialis, panis angelorum; 4. a forma consecrationis eulogia seu benedictio et consecratio; 5. ab effectibus vocatur vita, communio, communicatio et viaticum; 6. denum a loco in quo conficitur, sacramentum altaris; item synaxis ob presentem fidelium cœcum; a distributione fractio panis; a proprietatibus novum testamentum (1).*

Definitur porro eucharistia: *Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis ac vini ad spiritualiter fidelium refectionem a Christo Domino institutum.* Dao hujus sacramenti elementa seu symbola sunt, sed unum nihilominus est sacramentum significans animæ nostræ alimoniam. Vera autem sacramenti ratio in speciebus panis et vini consecrati consistit, prout docet Catechismus Rom. seu in ea ratione conjunctione, qua post peractam consecrationem habetur; ideoque non in sola consecratione ac perceptione, que sacramenti rationem non habent. Differt enim eucharistia a sacramentis reliquis 1. in eo quod cetera usu perficiantur, istud vero in ipsa perficiatur consecratione materiæ, et propterea tamdiu perdurat, quādū species sensibiles panis ac vini incorrupte invenient; 2. quod in aliis substantia materiæ non immutetur, mutetur tamen in isto; 3. denum hoc uni

(1) Potissima nomina hic recensuimus, ceterum de vobis εὐαγγελίον, προστρόφη, θύσια, λειτουργία, διάβαση, παντρίσμος, κανονικά. Cf. Sicerum in *Thesauro eccl.* sub vocibus istis. Hie tamen ubique se calvinistam prodit.

## CAPUT PRIMUM.

*De reali Christi praesentia in eucharistia.*

A Joanne Scoto cognomento Herigena sec. IX. pri-  
mum impugnatam fuisse realem Christi praesentiam in eucharistia nonnulli existimant, quæ tamen res incerta admodum est (a). Vulgo omnium sacramentaliorum (b) parens censemur Berengarius, ecclesiae An-  
degavensis archidiaconus sec. XI. adversus quem undique insurrexerunt viri non minus doctrina quam sanctitate præstantes, pluraque celebrata concilia sunt in quibus iterum atque iterum haeresim suam ille ejuravit, in quam tamen homo levissimus sepius post ejurationem prolapsus est, donec vere pœnitens in communione Ecclesiae vivere desit (c). Eum deinceps Wicleffus an 1339. secutus est, cuius art. 3. Christus non est in eodem sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali, proscriptis

(a) Cf. *Perpétuité de la foi de l'église catholique touchant l'eucharistie.* Paris. 1701. tom. I. liv. XXIII. ch. XII. nec non ibid. *Réfutation de l'écrit d'un ministre etc.* Trois. Partie ch. III. ubi ostenditur nullo solidi fundamento iniici eos, qui incusarunt Joannem Scotum, quid perperam senserit circa realem Christi praesentiam. Verum de hoc postea.

(b) *Sacramentaria* a Lutheranis primum vocati sunt Zwingiani et Calviniste eo quod rejicentes dogma de reali Christi praesentia in eucharistia, neque agnoscunt in ea nisi sola symbola, seu sacramentum nudum corporis et sanguinis Domini.

(c) Cf. Nat. Alex. Dissert. I. in sec. XI. et XII. De causa Berengarii. Jo. Mabillon Dissert. *De Berengario ejusque haereses ortu et progressu;* nec non diss. Historico-Criticum P. Josephi Plager S. J. *An Berengarius jam inde a sec. XI. recentioribus heterodoxis ita præluserit, ut realem corporis et sanguinis Christi praesentiam in eucharistia inficiaretur; prouide sacramentariorum parens et vero habeatur.* Ha dissertationes collecte reperiuntur in *Thesauro theo-*  
*logeo Zaccariae S. J. Tom. X.*

sibi veluti proprium vindicat, ut non modo sit sacramentum, sed etiam verum sacrificium, ac proinde quatenus est sacramentum, tendit primario ad hominem sanctificationem, quatenus vero est sacrificium, primario ad Deum referunt in recognitionem supremi ipsius in res creatas omnes domini.

Ex postrema et præcipua hac differentia, qua eucharistia ab aliis sacramentis distinguitur, patet ipsam duplicitem habere respectum, sacramenti scilicet et sacrificii; ex quo exsurgit totius tractatus in duas partes distributio, in quarum priori aguntur de eucharistia prout est sacramentum, in posteriori autem de eadem, prout est sacrificium.

*PARS PRIOR, DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.*

Prætermis minus necessariis questionibus de quibus consuli possunt scholastici, nos ab ea statim auspicemus catholicæ veritate stabilendi, que totius disputationis est fundamentum, a reali nempe Christi in eucharistia praesentia. Hac enim semel constituta, primum est de modo disserere, quo Christus realiter præsens per transsubstantiationem; ex his porro duobus præcipuis articulis, tanquam totidem corollaria deducemus reliqua doctrine capita, de quibus nobis item novatores intentarunt, circa ejusdem scilicet sacramenti adorationem, communionem sub unica specie, et quidem ex præsanctificatis, circa ejusdem denique necessitatem ac dispositiones ad ipsum percipendum.

Hic catholici dogmatis impugnatoribus nos Ecclesiæ doctrinam opponimus, quæ in Tridentina synodo sess. XIII. can. I. his verbis sancta est: « Si quis negaverit, in sanctissima eucharistia sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anath. sit. » Hujus autem fidei veritatem scripturarum, tum perpetua constantisque Ecclesiæ traditionis auctoritate constare, propositiones quas jam subjecimus patefacient.

*Propositio I. — Christus, prout in primis sacra litteræ docent, vere realiter et substantialiter in sanctissima eucharistia sacramento continetur, et non ut in signo tantum, vel figura aut virtute.*

Adeo arctus est nexus, qui intercedit inter verba, quibus Christus Dominus se carnem suam daturum in cibum promisit, Jo. VI et ea, per quæ datam fidem solvit, Matth. XXVI. 26. Marci XIV. 22. Luc. XXII. 19. et I. Cor. XI. 23. ut ab invicem divelli ac dispesci nequeant. Ex utroque propterea fonte, majoris perspicuitatis gratia distinctis paragraphis, veritatem hanc adstruimus, quam recte hac nostra aetate lapidem lydium vocaveris variarum confessionum, ac controversiam præcipuam, quæ inter Catholicos vigeat et Protestantes cujusvis sectæ, ac denominationis.

*§ 1. — Expenduntur verba, quibus Christus carnem suam manducandam, et sanguinem suum bibendum promisit. Jo. VI.*

Duo sunt quæ in questionem veniunt: 1. num Christus Jo. VI. loquatur de eucharistia; 2. num præterea loquatur de orali, an potius de spirituali mandatione per fidem.

Priusquam vero has questiones attingamus, juverit integrum textum præmittere, circa quem viget disceptatio, imo et totius capituli argumentum, unde non minima lux dicendis affulget. Jam vero s. Evangelista a v. 4. ad 16. refert miraculum a Christo patratum de multiplicatione panum; a v. 17. Christum exhibet commendantem panem cœlestem, ac fidem in se ipsum hunc panem pollicentem (a);

Ceterum sive Calvinus, sive esteri, qui eum secuti sunt, omnesque isti pseudo-irrenici, remotis ambagiis, in eo convenient, ut realem Christi absentiam ab eucharistia statuant.

(a) Dixi, Christum commendantem panem cœlestem, ac fidem in se ipsum, hunc panem pollicentem, seu pollicentem eucharistiam. Haud ignoro, plerosque interpres catholicos totum hoc caput VI. Joan. in tres partes dividere, quarum prima referat miraculum a Christo patratum a v. 4. ad v. 26.; secunda a v. 27. ad 50. quæ Christi sermonem de fide in semetipsum complectatur; postrema a v. 51. ad finem quæ continet promissionem de eucharistia. Verum omnibus perpensis longe mili verisimilior visa est expositiō s. Cyrilli Alex. et Theophylacti, qui etiam secundam hujus capituli partem referunt ad eucharistiam, seu ad Christum fidem in se commendantem ac pollicentem eucharistiam. Hoc aperte in

a. v. demum 51. ad finem capituli Christum inducit clarius et apertius exponentem hujus cœlestis panis naturam, proprietates, effectus, ac necessitatem. Quoniam igitur in postrema hac parte enucleatus exponit Christus, que ad hunc panem referuntur, integrum textum jam subjecimus: « Ego sum, inquit, panis vivus, qui de caelo descendit. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dicit ergo eis Jesus: amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bilit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bilit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. »

Jam vero Christum in adducto textu in primis loqui de eucharistia, non autem de sola fide, ut

dicere videntur Christi verba v. 27. « Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis, hunc enim Pater signavit Deus. » Ex quibus intelligimus Christum, arrepta occasione miraculi a se patrati in multiplicatione panum exhibuisse Iudeos cibum longe excellentiorem, nempe eucharistiam. Ut autem conciliaret fidem sibi hunc cibum pollicenti, patefacit necessitatem fidei in suam divinitatem, quum is solus, qui Deus sit, possit talen cibum promittere et præbere. Quo expleto v. 53. iterum redit ad id, quod ab initio sermonis proposuerat, idque prosequitur usque ad finem capituli. Objectum propterea totius capituli, si partem historicam excipias, est panis eucharisticus, ad quem referit fidem, que necessaria est in semetipsum, qui hunc panem proposuit, et omnibus fere verbis ad hunc panem alludit ejusque proprietates, et effectus.

Accurata perspicere hujus sermonis facile id suadet; nam I. loquitur Christus in tempore futuro v. 27. uii et v. 51. II. v. 52. se ipsum vocat panem de caelo verum a Patre datum v. 53. qui de caelo descendit, et hunc panem opponit manna dato Ille braisi in deserto, et v. 58. hanc eamdem plurimam et comparationem usurpat; III. v. 55. dicit se ipsum panem vivum, et hoc ipsum repetit v. 51. ac de hoc pane vivo, qui de caelo descendit pronunciat: « Si quis manducaverit ex hoc pane, etc. » IV. v. 19.

(b) Patres vestri, inquit, manducaverunt manna in deserto, etc., eadem ingeminat v. 58. Ex quibus omnibus luculentius patet, de eodem objecto loqui Christum in priori hujus sermonis parte ac in posteriori, nisi quod luculentius ea quæ subobscuræ protulerat in priori parte, evolvit et confirmat in altera.

Hac ratione veluti sponte sua concidunt præcipue difficultates, quibus Protestantes urgent expositionem Catholicorum in secunda parte hujus sermonis; et discrepantia evanescentia quæ viget inter catholicos interpres in assignando præcise transi sermonis Christi a fide ad realem mandationem corporis sui.

plerique Protestantes contendunt (a), ostendimus : 1. ex analogia, quæ intercedit inter manna, quod prebuit Moyses Hebreis in deserto, et manna præstantius, quod ex ipsorum traditione præbiturus erat Messias, cum adveniret (b), ad quod signum et traditionem alludunt manifeste Judæi, imo et Christus ipse (Jo. VI. 31. 52-58). Ergo sicut prius erat verus cibus, ita et posterius. 2. Ex phraseologia, qua utitur Christus, dum loquitur de hoc cibo; si enim sub carnis ac sanguinis emblemate voluissest Christus commendare fidem in semetipsum, invertisset omnes loquendi leges, et gravissimum offendiculum sine causa objecisset Judæis, ubi eos potius alicere debuissest. Quoties enim in scripturis occurrit phrasis metaphorica manducandi carnem alicujus, toties in malam partem usurpat (c), et idem valet, ac mali alicui gravem injuriam præcipue per calumniam vel falsam accusationem. Judæi præterea ab omni idea carnis humanæ manducanda, aut sanguinis bibendi summopere abhorreant. Absolum proinde est asserere, Christum, si nihil aliud quam fidem commendare voluissest, usum esse imagine ac tropo a

(a) Dixi plerique Protestantes; non enim omnes contendunt, Christum in posteriori sermonis parte disserere de sola fide seu de mandatione spirituali per fidem, sed non pauci jam nobis assentuntur, Christum vere promisso eum eucharisticum reali comeditione sumendum. Omissis siquidem Callisto, Hackspanio, Grünemberg, alisque, quos recenset Wolfius in *Curis philolog. et criticis in IV. evang. ed. 3. Hamburi 1799. p. 864.* Hierem. Taylor hoc pro concessu sumens ex textibus hujus partis, utpote cum cœna Domini connexa, argumenta deponit; cf. *Worthy Communicant. Lond. 1660. p. 271.* Sherlok ulterius progressus ostendere satagit, ad aliud hanc partem referri non posse. Vid. *Discourse of religious assemblies. 3. ed. Lond. 1700. p. 564.*

(b) In *Midrasch Coheloth* (expos. Ecclesiastis) legitur: « Rabbi Berechiah dicit nomine R. Isaac: sic ut fuit primus Goël (Liberator), sic et secundus erit. Primus Goël descendere fecit manna, sic ut scriptum est: *Ego faciam vobis plure panem de cælo*, sic et alter Goël faciet manna descendere. » Cf. Schoettgenius *Horæ hebraicæ et Talmud. Tom. 1. p. 559. Lips. 1753.*

(c) Ita Ps. XXVI. 2. Cf. Rosenmüller Psalm. edit. 2. Lips. 1825. Vol. 2. p. 724; Job. XIX. 22. Mich. III. 5. Eccles. IV. 5. Job. XXXI. 31. et XIV. 10. Galat. V. 25. Dan. III. 8. VI. 34. In codem sensu usurpatur haec phrasis in linguis affinibus ut in Arab. Koran Sura XLIX. 42. et alibi. Scilicet etiam apud Latinos, ut patet ex Horat. epist. I. II. cap. I. v. 160. Sat. lib. I. v. 81. Martial. lib. IV. epigr. 64. v. 51. I. V. ep. 50. v. 8. I. XIII. ep. 2. etc. Id ipsum viguit apud Graecos, Syros, etc. et consentaneum præcipui philologi recentiores Michaëlis, Jahn, Ammon, Winer, Geseñius, ex quibus si Jahn excipias, ceteri protestantes sunt. Ex quo sequitur, Christi auditores eligere sollempmodo potuisse inter sensum naturalem et litteralem, atque metaphoricum: ast sensus iste metaphoricus in hac circumstantia absurdus est, concludere igitur debemus, Christum Dominum hic reapse docere necessitatem manducandi realiter carnem suam, ac bibendi sanguinem suum. Cf. cl. Wiseman, qui egregie et selecta eruditione hoc argumentum fuisse evolut in op. *Lectures on the real presence* etc. Lond. 1836. vol. I. p. 64. seqq. Ex quo opere propositum plura hausisse ex iis, quæ in hac propositione proferemus.

(a) Cf. Albertinum de Euchar. lib. I. c. XXX.  
(b) Cf. Rosenmüller Schol. in N. T. Tom. II. in h. l.

(c) Exemplo sunt: colloquium cum Nicodemo Jo. III. 5. seqq. Matth. XVI. 6. de fermento phariseorum Cf. Luc. XII. 1. Jo. XV. 52. Jo. XI. 44. Matth. XIX. 24. Jo. VIII. 21. et 32. 40. Jo. V. 15. XVI. 18. 22. Illud etiam hic notandum est, quod cum Judæi recte intelligentes ejus verba ex litterali sensu aliquid ei objiciebant, Christus verbis steterit, et verba ipsa repete et inculcare solitus fuerit, cf. Matth. IX. 2. Jo. VIII. 56. Jo. VI. 42.

(d) Optima note philologi observant, phrasin Amer amen dico vobis, etc., non esse juramentum, sed asseverationem vehementer confirmantem. Judæi vocant corroborationem et confirmationem dicti. Cf. Glass Philologia sacra his temporibus accommodata, I. Lips. 1776. p. 397. In confirmingo, etc.

sicut dicens: « Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus » (a), imo phrasim mutans, cibum et potum simul complectitur addens: « qui manducat me, vivet propter me, » quibus profecto excludit omnem allusionem ad violentam suam mortem, ut plerique protestantes interpres recentiores priorem textum exponunt (b). Quod rite intelligentes Christi discipuli scandalizati sunt dicentes: « Durus est hic sermo » id est *asper, horribilis* (c), ita ut non adiecerint: « Quis potest talia credere? » sed « Quis potest eum audire? » (d) 3. Ex miraculo, quo Christus doctrinam suam ad sensum discipulorum se confirmatur pollicetur; subdit siquidem: « Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendente, ubi erat prius? » quæ Kuinoel et Bloomfield exponunt: « Si ascendero in cælum, vos desinetis scandalizari et offendi. » Nempe, ut solet, Christus appellat ad ascensionem suam, tanquam ad signum divinæ suæ auctoritatis in docendo, et ad adstruendam sub quacumque difficultate necessitatem credendi (e). 4. Ex Christi charactere seu indole et adjunctis; Christus enim, qui via, veritas et vita est, iis ipsis, quos tanta cum benignitate prius aluerat doctrina in deserto, ac postea pavit cibo corporali per ingens miraculum, scandalum objecisset metaphoris locutionibus, quod una vocula dissolvere potuisse; insistit tamen, asseveratione solemnijuxta eorum intelligentiam sua confirmat; difficultatem, interpretationem Protestantum, in immensum auget; patitur discipulos ipsos suos scandalizari; futuo miraculo promissionem suam adstruit, imo et in perpetuum eos excidere ab aeterna vita ultro sinit, et facultatem abeundi tribuit vel ipsis Apostolis, quibus datum erat nosse mysteria regni Dei (Luc. VIII. 10), quin aut expositionem subjiciat, aut erroneam interpretationem tollat. Qui haec omnia animo suo reputet, impossibile est, ut adducatur ad haec adeo absurdâ et aliena a miti Christi indole admittenda. Hoc credere magis profecto difficile est, quam ipsum quodammodo eucharistiæ mysterium (f). 5. Ex agendi ratione evangeliste, qui quoties refert obscurum aliquod Christi effatum neque ab ipso Christo expla-

(a) Gr. ἀληθῶς vere, in multis tamen mss. optimæ notæ, versionibus, et Patribus, legitur adject. ἀληθῖς vera cf. Griesbach. in h. l.

(b) Uti Rosenmüller, Kuinoel, Tittmann, Tholuck, Lampe, Schulz, Bloomfield, Eseley etc. in commentariis in hoc caput.

(c) Cicero Philipp. VIII simili phrasim utitur: « In reipublicæ corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum amputetur. Dura vox. Multo illa durior; salvi sint improbi, sclerati, impii. » Demetrius his verbis: Απόγνωστος ὁ λέγος καὶ σκληρός codem sensu utitur, scilicet de præcepto, acie ordinem servandæ militibus dato etiam cum periculo ne ab hostibus occidantur. Alia exempla cf. in Criticis sacris in h. l.

(d) Hinc s. Jo. Chrysost. Hom. LIV. al. LIII. in Jo. n. 3. vocem δινεσθαι aquil. διδεσθαι. Επειδὴ τὸ μὴ δινεσθαι τὸ μὴ διδεσθαι ἔστω. Et infra: Οφῆς ετί τὸ εὐ δινεσθαι τὸ μὴ διδεσθαι λέγεται.

(e) Kuinoel p. 374. Bloomfield p. 220. Sane congruit huic expositioni, quod legitur Jo. I. 50. 51; Matth. XXVI. 63. 64.

(f) Cf. Moore: *Voyages d'un Jeune Irlandais à la*

natum, toties illud, quo sensu Salvator protulerit, exponit (a); hic vero de errore aut falsa intelligentia Judæorum ac discipulorum nihil admonet, quavis in hypothesi Protestantum obscurissima fuerit Christi loquendi ratio, ac in errorem inducens (b). 6. Ex unanimi interpretatione Patrum sex priorum seculorum, imo et sensu ipsius Ecclesiæ, cum non aliam originem haberet praxis quæ sex prioribus seculis obtinuit conferendi eucharistiam infantibus neper baptizatis, quam ex Christi verbis: « Nisi manducaveritis, etc., » cuius rei testes luculentissimi sunt. Innocentius I et s. Augustinus, qui exinde argumentum sumunt ad commentitiam evertendam Pelagianorum distinctionem inter regnum Dei et vitam aeternam (c). Hanc interpretationem tria concilia recherche d'une religion. Trad. de l'Angl. Paris, 1836, chap. XXII.

(a) Cf. Jo. II. 49-21. VII. 58-59, etc.

(b) Neque hic omittendum est, ex scopo S. Joannis in conscribendo suo evangelio magis apertum fieri, quod agatur in hoc sermone de reali Christi carnis comeditione et sanguinis potionē. Nempe scopus s. Joanni hic fuit, ut præter Verbi seu Christi divinitatem, adstrueret realem et veram Christi Domini carnem aduersus Docetas seu Phantasiastas; quidquid porrors conferre poterat ad hanc veritatem constabiliandam, magna sedulitate protulit s. Evangelista. Jam vero ob intimum nexum, qui inter eucharistiam et incarnationem intercedit, neinō est qui non videat, necessario ex veritate carnis quam edendam, et sanguinis quem potandum hic nobis Christus exhibuit, colligi veritatem carnis et sanguinis ejus. Nil autem evangelista confecisset, si de spirituali mandatione per fidem Christi verba intelligenda essent. Ex quo deprehendimus, non minus falso, quam impie Kaiser in *Biblioth. theol. I. p. 265.* existimasse, nullum apud Joannem sacra cœnia mentionem fieri, quia verisimile est, quod cœtus illi, in quibus evangelium Joannis primum usitatum fuit, sacra cœna ritum nondum adscivissent. Huic adsuplatur Wegscheider, dum §. 173. n. (e) subdit: « Hoc quidem tenendum est, loco Jo. VI. 51. seqq. mysticam quandam cum Christo unionem significari, nec ultra hujus ritus in ecclesiis Asia minoris celebrati vestigia apud scriptores sacros deprehendi. Cf. Ephes. IV. 4-6. ubi cœna sacra mentio desideratur. Verisimile videtur, Joannem, quippe qui cultum Dei spirituale in primis commendaverit (Cf. Ev. IV. 23. 24. VI. 63), baptismi et sacra cœna ritus, tanquam res externas parum curasse, nec nisi sub velamine quodam mystico ritus istos adumbrasse, Ev. III. et VI. » Ita etiam Dav. Schulz *Die christ. Lehre* etc. seu *Doctrina christiana de sacra cœna* juxta textum fundamentalem N. T. Lips. 1824. L. I. p. 161. seq. Knapp Chr. Gl. II. p. 576. seq. Ita rationalista Scripturam lacerant. Inter ea, ut videbimus, s. Ignatius M. discipulus s. Joannis ex reali Christi carne in eucharistia Docetas perstringit, qui umbrat carnem Christo tribuebant. Ut autem pateat, quonodo hi Susanna testes inter se convenient, juverit exscribere verba Kuinoelii, in evang. Matth. c. XXVI. 26. « Ceterum, inquit, Joannes nihil de sacra cœna institutione commemoravit, quoniam ut recte monuit Eckermannus *Handb. B. 4. p. 432.* illeius celebratio inter christianos, cum Joannes scriberet, ubique nota et usitata erat. » Optime! Itaque vera ratio, cur s. Jo. institutionem eucharistiæ prætermisit hæc est, quia sibi proposuit supplere, quæ a ceteris evangelistis omissa fuerant, et quia de eucharistiæ late disseruerat toto cap. VI.

(c) Cf. Maldonatum in Joan. qui tamen ulterius